DE CALCULO RENALI

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. TUSSANO BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Professore Regio, Regiæ Chirurgorum Academiæ Consiliario, *tueri conabitur* *JOANNES-BAPTISTA MASQUELIER*, *Parisinus*, *in almâ Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister.*

PARISIIS,


IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Veneris 26â Julii, à sesqui-secundâ post meridiem ad Septimam. Anno Domini 1754.


PRO ACTU PUBLICO,

ET

MAGISTERII LAUREA.



Typis DELAGUETTE, Regii Chirurg. Collegii Typographi 1754.



D. O. M.

THESES ANATOMICÆ

ET

CHIRURGICÆ.



EA est fluidorum corporis humani dispositio ; ut morâ, vel accedente quâlibet alterâ causâ mutentur, concrescant, naturamque lapideam induant quandoque. Concretiones duras in quâcunque corporis parte generari comprobat experientia ; at quàm varia sit ipsarum indoles comparatione institutâ facilè patebit. Aliæ enim ex concreto osseo nascuntur ; aliæ verò ex partibus terrestribus simul unitis coadunatæ veros efformant calculos. Glandulas Pinealem & Pituitariam lapideas probat cadaverum sectio ; calculos in linguâ haud rara arguit observatio ; in glandulâ lacrymali, Pulmonibus, Ventriculo, Intestinis, Utero re-

periuntur (*a*) ; nullibique ſæpiùs generantur quàm in Renibus aut Veſicâ. Concretiones oſſeas frequentes etiam in omnibus aliis partibus demonſtrant obſervationes, corporumque ſeniorum inſpectio anatomica ; ſed cùm ſæpè Calculorum nomine deſignentur, hinc fucum facere poſſunt quæ apud autores commemorantur de calculis Cordis, Arteriarum, Venarum, Splenis, Meſenterii, ipſiuſque Uteri lapidei. Horum autem differentiam facilè aſſeret, cautusque errorem vitabit qui ex perſpectis ipſorum naturâ, ſtructurâ, odore poſt uſtionem judicabit.

Sola extractione debellari poteſt quæ pro variâ concretionum calculoſarum ſede orietur accidentium Συνδρομή. Arduum hoc opus feliciter audax non ſemel tentavit Chirurgia, ſed in quocunque caſu efficacem hanc operam prohibent partium indoles aut uſus. De calculis Renalibus, cæteris omiſſis, dicturos, perpendere juvat, *an Reni calculoſo integro ferrum utiliter adhibendum ?* Conſideratâ priùs Renum ſtructurâ, facilè ſolvetur propoſitæ quæſtionis nodus.

§. I.

Renes, ut plurimùm duo, in utroque ſuperiori Lumborum latere, extra cavitatem Abdominis retrò Peritonæum ſitum obtinentes, parte ſuâ ſuperiori duabus infimis coſtis ſpuriis incumbunt nunc æquali, frequentiùs diverſâ paulò altitudine, contrà inferiorem partem crurum Diaphragmatis & ſuperiorem Muſculorum Quadrati & Pſoas. Inter rariora & vitioſa habeantur Ren unicus, aut Renes numero tres (*b*).

Phaseoli majoris figuram æmulantur Renes ; anteriùs, poſteriúsque depreſſi duas dant extremitates, ſuperiorem unam & latiorem, inferiorem alteram. Exteriùs convexi ſeu gibbi ; interiùs verò, quâ parte vaſa majora vertebrasque conſpiciunt, concavi inæqualiterque diviſi, quinque ſexve digitorum tranſverſorum longitudinem, craſſitiem, duorum, trium ferè latitudinem æquant. Pro variâ ætate, varia Renum configuratio. In Adultis exteriùs læves, lubrici, & æquales; in Fœtibus verò quodam modo inæquales ex pluribus lobulis minoribus coagmentati videntur, quæ quidem conformatio in Adultis quandoque obſervanda.

(*a*) Vid. Blaſii Obſervat. Med. Anatom. rariores de calculis in linguâ, labio cancroſo, glandulâ lacrymali, Pulmone, hepate, ſcroto ; item Tolet *Traité de la Taille*, cap. 3°. in quo præter multa ſtupendum offertur exemplum viri cujuſdam qui 500 lapides per annum ejecit ; & in Regiæ Chirurg. Academiæ Commentar. tom. 2°. Clar. M. Louis Diſſert. *ſur les Concrétions calculeuſes de la Matrice*.

(*b*) De quâ re videantur Barth. Euſtachii tabulæ Anatom. Blaſii Obſervat. Med. Anatom. rariores, & Mangeti Theat. Anatom. lib. 2°. cap. 11°.

Duabus involvuntur membranis; communis prior, laxa, multâ pinguedine obsita, non Peritonæi duplicatura, solo textûs cellularis nomine nuncupanda, Renibus ipsorumque vasis integumentum suppeditat. Hâc mediante, Ren dexter hepati & intestino Cœco; sinister lieni & intestino Colo, Lumbis denique & Diaphragmati uterque connectitur. Propria altera tenuis, undique Renibus tenaciter affixa intrà ipsorum substantiam tenuissimis propaginibus inseritur.

Carnis speciem præ se ferens Renum substantia innumeris vasorum surculis irroratur. Ab Aorta arterias, à Venâ cavâ venas mutuatur. Vasa hæc concavam ipsorum partem subeuntia in varios abeunt ramos per medullarem substantiam arcuatìm dispositos, unde prodeunt ramuli minores ad corticem usque protensi, hîcque vermiculari reptatu glomeres tenuissimos constituunt. His intricantur tenuissimi nervorum plexus præsertìm à Sympathico majori, Parique octavo oriundi. Omnibus his-ce vasorum distributionibus comites adduntur propriæ membranæ propagines.

Non una eademque fuit Anatomicorum circa Renum structuram sententia. Hanc veteres Parenchymatosam, alii simpliciter fibrosam; Malpighius glandulosam (*a*); Ruyschius vasculosam existimavere; attamen perspectè considerata ipsorum substantia triplex distinguitur. Exterior una, densa, paululùm spongiosa, quæ tota ferè vasculosa apparet, interjectis tamen corspusculis quibusdam minoribus (*b*), Corticalis nuncupatur; altera Medullaris, radiata, tubulis rectis & exiguis constat; ab eâ oritur tertia interior Mamillaris, in decem duodecim-ve apices desinens qui ex radiis tubulosæ *substantiæ convergentibus efformati minimis orificiis* serum urinosum seu Lotium in corticali substantiâ secretum intra tubulos membranaceos, indeque versùs Renum cavitatem seu Pelvim deponunt. An verò apparatu glanduloso, an vasculoso urina secernatur? Dubium inter utrumque manet. Inspectio tamen anatomica, tùm celeritas aucta, tùm laxitas morbosa quibus cruor aliique liquores crassiores quandoque evadunt, vasorum extremis totum opus præcipuè tribuere videntur.

(*a*) Hæc structura à Malpighio laudata, variis videtur observationibus confirmata. Renis sinistri vices gerentia duo Marsupia vasis suis instructa inventa fuisse legitur in dissertatione quæ extat in Mangeti Theatro Anatomico lib. 2°. cap. 11°. Renes vesiculosos in fœtu nonimestri observavit Clar. Littrius, indeque glandulosam ipsorum structuram statuit Act. Reg. Scientiar. Acad. ann. 1705. at quid inde concludendum licet in hisce casibus urina secernatur? demonstratur equidem existentia vesiculæ urinam continentis; sed nullo modo sequitur hunc apparatum secretioni favere, siquidem morbosus fuerat.

(*b*) Vid. Institut. Med. Boerhaavii n°. 353; & Clar. Bertin Dissertat. quæ extat in Act. Reg. Scientiar. Academ. ann. 1744.

§. II.

MULTO sero sanguinis; sale volatilissimo alcalino proximo; oleo acriori, tenuissimo, ad putredinem vergente; terrâ quoque tenui & valde attritâ urinam constare demonstrat Analysis. Partium harumce constituentium habitâ ratione patet cur tam frequens in Renibus aut Vesicâ λιθογένεσις. Si enim quâcunque de causâ in ipsismet tubulis uriniferis, oblongis, conicis, moretur urina, mox concrescentibus terrâ & oleo additis partibus quibusdam salinis efformatur calculi germen; nisique urinâ urgente, versùs vesicam protrudatur, additis particulis in ipsomet rene augetur, calculumque renalem constituit.

RENIBUS calculo laborantibus oritur morbosa dispositio quæ generatim νεφρῖτις audit, variè tamen distinguenda *; vel enim arenulæ in Renibus contentæ dolorem nephriticum producunt; vel calculo præsente, Renibus integris, varia prodit accidentium soboles, quæ mox ægrum ad orci fauces dant præcipitem; vel denique calculi præsentiâ irritati Renes suppurantur. Pro vario isto affectu varia Diagnosis, variaque curatio.

1°. ARENULAS absque ullo dolore à Renibus excerni quotidiana docet praxis; si verò variis de causis intra ipsosmet tubulos uriniferos retentæ hæreant, irritatâ, pressâ, læsâ-ve Renum substantiâ mox oriuntur symptomata quæ non tantùm ipsorum irritationem, verùm etiam inflammationem indicant. Hinc febri acutæ, continuæ, cuti aridæ & ardenti, aliisque generalibus inflammationis signis accedunt dolor ardens, pungens, & inflammatorius in regione lumbari, dolor inguinis Testisque ejusdem lateris, stupor cruris, motus convulsivi, dolor iliacus, urinæ paucæ & sanguinolentæ fluxus, auctoque dein Paroxysmo oriuntur ructus, vomitus biliosi, ventris tormina, singultus, Lipothymia, indeque sudores frigidi. Horum-ce accidentium genesis à partium structurâ & connexione desumenda.

QUANTUM tunc in ancipiti versetur æger facilè patet. Hinc indicatur quidquid inflammationem minuere, infarctos irritatosque Renes solvere, urinæ vias relaxare, spasmosque tollere potest; unde huic-ce scopo apprimè competunt venæ sectio plùs minús-ve

* Notandum est hanc vocem *Nephritis*, licet renum inflammationem frequentiùs indicet, quandoque pro variis renum morbis designandis usurpari, unde qui ab arenulis aut calculo renum oriuntur generali nomine Nephritidis vocantur.

pro ægri viribus repetita ; potus lenientes, emollientes, magnâ copiâ ingesti, potiones oleosæ, clysmata, fomenta, victus tenuis, quies, balneaque præ cæteris, imò Diuretica cautè in quibusdam casibus adhibeantur.

2°. In quibusdam hominibus sæpè adest calculosa diathesis quâ ita afficiuntur, ut in omni ferè tempore arenulas, urinasque maximè subsidentes deponant, tunc calculum pertimescendum esse conjicitur. Urinæ enim quæ in Renibus ita sabulosæ excernuntur, si retineantur, facilè concrescunt, efformatur calculus ; dum crescit, insidiosa quandoque apparet quies, posteáque subitò sæviunt Nephritidis accidentia quando majorem comparavit molem (*a*). Calculos tamen majores absque accidentibus in Renibus contineri variis comprobatur experimentis ; sed ex iis frequentiùs lethalia oriuntur symptomata.

At præter enumerata Nephritidis signa, alia specialiter sæviunt. Sensus gravitatis, dolores perpetui sentiuntur in eodem loco, hepatitidem etiam mentitur nephritis calculosa ; non fit in hoc casu inflammatio, nisi per longiorem irritationem excitetur ; urina minori quantitate secernitur, imò si in utroque Rene calculus oriatur, mox supprimitur, & in sanguine contenta varias edit strages, unde febris acutissima, spasmi, delirium, syncope, palpitatio cordis, Mors.

Malum minuere, non verò tollere queunt remedia Nephritidi congrua ; quies præsertìm competit. Medicinam efficaciorem (Renum sectionem nempè seu Nephrotomiam) meditati sunt plurimi, at periculosam illam aleam tentare non ausi sunt. Hanc laudaverunt *Rossetus* (*b*), *Riolanus* (*c*). At verò licèt Renum vulnera sanentur, licétque institui queat sectio abdomen non penetrans, arduam tamen hanc operationem vetant profundus Renum situs, ipsorum supra costas spurias positio, calculi percipiendi difficultas ; suffragantibus nobis Hippocrate (*d*), Hildano (*e*), Me-

(*a*) Insigne apud Dionysium prostat exemplum. In Renibus enim Papæ Innocentis XI. tanti inventi fuerunt calculi, ut calculus Renis sinistri novem uncias, dextrique sex libraret *Dionis, Traité des Opérations de Chirurgie, 3e. Démonstration.*

(*b*) Rossetus de Partu Cæsareo. sect. 3a. cap. 7°.

(*c*) Riolanus, Anthopograph. cap. 26°.

(*d*) Lib. de internis affect. cap. 15. ubi sic habet : *Cùm intumuerit & elevatus fuerit Ren, sub idem tempus juxta Renem secato & extracto pure arenam diureticis sanato.*

(*e*) Centur. 6a. Observ. 44.

kren (*a*), Beverovicio (*b*), Tulpio (*c*), Heiftero (*d*).

3°. Calculo præfente irritati Renes quandoque inflammantur, unde aucta inflammatio fi non refolvatur, aderunt fuppuratio vel Gangræna, ut in inflammatione fimplici. Hinc fi in lumborum regione, dolore paulifper remittente, poft figna nephritidis prægreffa, pulfationes, horrores, gravitatem quandam, &c. urina turbida, fœtidaque hypoftafim purulentam deponat, aut tumor & fluctuatio in regione renum appareant, tunc fuppurati Renes indicantur.

Suppuratio Renum per urinæ vias effluens, abfque tumore exteriori, fine fectione curanda; tuncque demulcentia, aperientia, vulneraria, diuretica, balfamica feliciter adhibeantur. Sin minus feliciter cedat morbus, tabes renalis pertimefcenda (*e*).

Si verò tumor in lumbis aut fluctuatio oriantur, tunc, naturâ viam monftrante, neceffariò aperiendus tumor, apertoque tumore fuppurato foràs eliminantur calculus & arenæ. Ad hanc operationem præftò funt fcalpellum aut cauftica; hæc fcalpello meritò poftponantur. *Incifio major celebranda; fuppuratio rarò legitima; in primis temporibus calculus, fi non occurrat*, inquirendus. Ad deligationem fuppurantia adhibeantur; apertum ulcus per turundas à cicatrice contineatur, donec nulla ampliùs adfint calculi præfentis figna, fin minus, ut ulcus fimplex deligandum. In fiftulam degenerans lumbaris fectio, ut plurimùm calculi remanentis indicium. (*f*).

Quare fecentur Renes fuppurati, non verò integri? Quare integri non poffint fecari, fi quidem tabe conficiuntur abfque majori damno? (*g*) Quare Renes calculofi aut fchirrofi ferro non fint aggrediendi, comparatis partibus fuppuratis cum integrarum ftatu facilè patebit; *ergo Reni calculofo integro ferrum non eft adhibendum.*

(*a*) Obferv. Chirurg. 44.

(*b*) Beverovicius de calculo Renum & veficæ. p. 99.

(*c*) Nicol. Tulp. Obferv. lib. 4°. cap. 28.

(*d*) Vid. Laurent. Heifteri Inftitut. Chirurg. part. 2ª. fect. 5ª. cap. 140°.

(*e*) Boerrhaave, Aph. 1002. de cognofcendis & curandis morbis commentante Clar. Van-Swieten. Hujus etiam exempla videri poffunt in Boneti fepulchreto. lib. 3°. fect. 22ª.

(*f*) Vid. Commentar. Reg. Chirurg. Acad. tom. 2. *fur les cas où il convient d'employer la Nephrotomie.*

(*g*) Roffetus loco citato.

